591
A 19.

THESES
EX UNIVERSA PHILOSOPHIA DEPROMPTÆ

QUAS SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.

PETRI ANTONII GEORGII

EPISCOPI CENETENSIS

in publicum certamen exponit

MOYSES DEL-ZOTTO

EX ZUMELLIS

SEMINARII CENETENSIS ALUMNUS

PRÆCEPTORE ET ADJUTORE

IGNATIO COSTANTINI

IN EODEM SEMINARIO PHILOSOPHIÆ LECTORE.

Data cuilibet post tertium arguendi facultate.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CENETÆ MDCCXCII.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google



Nunquam satis laudari Philosophia poterit: cui qui pareat, omne tempus ætatis suæ sine molestia possit degere.

Cic. de Senectute N. 1.

Un galant homme ne se pique point d' Esprit: s' attache à avoir de la Raison: veille à ne se point ècarter du Bon Sens: travaille à former son Jugement: exerce son Entendement: cherche à rendre sa Conception juste: se procure en toutes choses le plus d' Intelligence qu' il peut: & suit son Gènie.

Encyclop. Art Esprit.

Digitized by Google

EX LOGICA

I.

RErum ſpecies, quibus univerſa cognitionum humanarum ſuppellex conſtituitur vel exurgunt in animo repræſentativi cujuſdam ſenſus occaſione, vel actu potentiæ reflectendi in ſemel percepta: hinc duo recenſeri poſſunt generica ſciendi principia, ſentiendi unum, alterum intelligendi.

I I.

Corporum qualitates ſolo ſenſuum miniſterio cognoſcuntur, ac earum ideas mens humana ſibi creare non valet.

I I I.

Cum eadem ſit in omnibus primaria organorum ſtructura, ac phyſica cum objectis relatio, primæ & directæ ſenſuum ideæ contra Malebranchii ſententiam ſimiles æque in omnibus eſſe videntur.

I V

Contra eumdem Malebranchium adventitiæ corporum notiones, nullius ſupernæ revelationis ſubſidio, ex intima & irrefragabili uniuſcujuſque conſcientia reales comprobantur.

V

Eædem adventitiæ ideæ ſimplices, ſi tanquam directæ ſpectentur, falſæ eſſe nequeunt.

V I

Intellectus ultra imaginationem extendi poteſt juxta Carteſium, & multa diſtincte cernere, & comtemplari, quæ nec corpus aliquod, nec corporeum refferant ſimulacrum.

V I I

Reflexionis ſubſidio quæ peculiaria in rebus ſunt, aliquando removeri poſſunt, & ea ſolum quæ, pluribus communia ſunt, tamquam per ſe exiſtentia conſiderari: hinc dantur ideæ abſtractæ, & maximæ univerſales, quin ſcholaſticorum figmenta circa realem Porphirii univerſalium exiſtentiam renoventur.

Facti-

Digitized by Google

V I I I

Factitiæ ideæ, quibuſdam notantur ſignis, quæ reſpectu mentis peculiaris imaginis vices gerunt: hinc idearum ſigna juxta De Condillac propria ſunt ſolius facultatis intelligendi.

I X

Vocabula, quibus extrinſecus animi ſenſa exprimuntur, ex hominum arbitrio, non ex rerum natura inſtituta, eſſe experientia teſtatur. Unde Horatius.

Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi.

X

Mens humana poſteaquam perceperit, & comparaverit per ſimplicem actum, duas aut plures ideas vel jungit, vel ſeparat, qui actus judicium vocatur.

X I

Idem judicii actus qui ex perceptione, & comparatione elicitur, non ad voluntatem, ut contendunt Carteſiani, ſed ad intellectum pertinere debet.

X I I

In iis omnibus, quæ intrinſecus eveniunt, & mentem quolibet modo afficiunt, ſenſus intimus conſtituitur Metaphyſice-certum veritatis criterium.

X I I I

In iis autem, quæ extrinſecus contemplantur, Evidentia eſt criterium, quod Metaphyſicam parit certitudinem.

X I V

Primariæ corporum qualitates tales æſtimari debent, quales concipiuntur: non autem ſecundariæ, quæ tales non ſunt niſi in mente percipiente: hinc ſolus Tactus ex quinque ſenſibus repræſentat objectum quale exiſtit.

X V

Cognitiones tamen omnes quæ ſenſuum miniſterio hauriuntur phyſice-certæ eſſe poſſunt, quidquid jactitent Sceptici.

Contra

Digitized by Google

XVI

Contra eorumdem impudentiam poſſibilis eſt etiam certitudo moralis in factis hiſtoricis ſive coævis, ſive præteritis, ſive naturalibus, ſive ſupernaturalibus.

EX METAPHYSICA GENERALI.

XVII

Quod primum in rebus omnibus ponitur eſt principium contradictionis *idem ſimul eſſe, & non eſſe* non poſſe, & tanquam primum principium haberi debet.

XVIII

Quidquid exiſtit rationem ſui ſufficientem cognoſcere debet, cur potius exiſtat, quam non exiſtat, cur hoc potius, quam alio modo exiſtat.

XIX

Hoc tamen rationis ſufficientis principium non eſt adeo univerſale, ut cum Leibnitianis ad cauſſarum liberarum actiones extendi poſſit.

XX

Neque indiſcernibilium propterea principium, quo conſtituitur duo quælibet entia ſimilia dari non poſſe, admittendum eſt.

XXI

Intrinſeca & abſoluta rerum poſſibilitas ex ſola attributorum immutabili convenientia exurgit, atque ideo a libera Dei omnipotentia non dependet, ut contendunt Carteſiani.

XXII

Rerum eſſentiæ ex attributorum complexu coaleſcunt, quo fit ut ab attributis realiter non diſtinguantur.

XXIII

Eædem rerum eſſentiæ ratione ſui immutabiles ſunt, & neceſſariæ: hinc aliquid ſunt ab æterno reale & exiſtens.

Quæ-

XXIV

Quælibet eſſentia facta, quatenus ſuam exiſtentiam protrahit *durare* dicitur. Hæc autem duratio a re durante non diſtinguitur, ſicuti nec tempus a duratione.

XXV

Quod vocatur infinitum actu adæquate concipi nequit, & ex repetitione partium aut unitatum in infinitum continuata infinitum ſolummodo imaginarium conficitur.

XXVI

Talis eſt eſſentia actualis infiniti, ut ſimile neceſſario excludat: ratione idcirco ejuſdem eſſentiæ unicum eſſe debet.

XXVII

Modus abſque ſubjecto ſtare nequit, immo non aliud eſt niſi ſubjectum ipſum tali ratione exiſtens: Entitates propterea Scholaſticorum eliminantur.

XXVIII

Materiei ſubſtantia tanquam aggregatum ſimplicium, & inextenſarum ſubſtantiarum difficile ſuſtinetur, etiam in P. Boſcovichii hypotheſi.

XXIX

Materia per ſe iners eſt, & ad actionem prorſus indeterminata: neque actuali præterea motu, neque niſu, aut conatu ad motum eſſentialiter donatur.

XXX

Adſpectabilis hic Mundus ex plurium diverſæ naturæ ſubſtantiarum ſerie coaleſcit, quæ ſucceſſiva cauſſarum & effectuum viciſſitudine in ſe mutuo agunt, & machina eſt proprie dicta, quia eventuum curſus a mechanicis quibuſdam legibus regitur.

XXXI

Ita tamen non eſt præordinata cauſſarum, & effectuum ſeries, ut ſiquid mutaretur aut in exiſtentia, aut in ſtatu componentium elementorum, ut volunt Leibnitiani, machina univerſi corrueret.

Neqne

XXXII

Neque mechanicæ naturæ leges adeo ſunt inalterabiles, & neceſſariæ, ut abſolute vel mutari, vel alterari non poſſint: hinc vera Miracula ſunt poſſibilia.

XXXIII

Mundi machina in tempore ortum habuit, neque ſemper extitit, ut ſomniarunt veteres Accademici.

XXXIV

Idem Mundus per creationem ex nihilo factus eſt, non ex celebri Epicuri caſu: hinc fatum Democriticum eſt abſurdum.

XXXV

Abſurdum quoque & impium eſt fatum Spinoſiſticum, quia contra Pantheiſtas a ſubſtantia Divina aliæ ſubſtantiæ eſſentialiter diſtintæ dimanare nequeunt.

EX METAPHYSICA PARTICULARI, SEU PNEUMATOLOGIA.

XXXVI

Contingens & mutabilis finitorum entium exiſtentia, reales quibus donantur actiones, eorumque diſpoſitio & ſitus, neceſſario & invicte probant exiſtere ens neceſſarium quod ſupremum vocatur, a quo procedant, & regantur omnia.

XXXVII

Ejuſdem Entis exiſtentiam altiſſime prædicat naturæ vox, quæ ex generali & unanimi, a prima uſque antiquitate, omnium ſæculorum decurſu, ad nos tranſmiſſo populorum conſenſu eruitur.

XXXVIII

Ens ſupremum, nempe Deus, debet eſſe ſubſtantia actu infinita, in omni genere perfecta, ſibi ex æquo ſufficiens.

XXXIX

Contra Polytheiſtas omnes, ratione eſſentiæ & potentiarum Deum multiplicem repugnare demonſtratur.

Illæſa

XL

Illæſa tamen ejuſdem Dei bonitate, malum cujuſcunque generis contra Manichæos poſſibile defenditur.

XLI

Idem Deus, licet immenſus, ſubſtantia eſt ſimpliciſſima ab omni materia ſecreta.

XLII

Omniſcius eſt, & ſimpliciſſimo actu cuncta videt poſſibilia & futura.

XLIII

Eſt etiam Omnipotens, & quibuſcunque poſſibilibus exiſtentiam tradere valet.

XLIV

Ipſe ſolus eſt æternus, & creaturæ non potentiæ Divinæ defectu, ſed ratione ſui æternæ eſſe nequeunt.

XLV

Liberrimus eſt Deus in actibus *ad extra*, atque ideo quidquid creatur, a libera ejus voluntate dependere debet in exiſtendo: hinc fatum Ariſtotelicum eſt falſum.

XLVI

Immutabilis tamen permanet in ſe poſt quamlibet operationem.

XLVII

Illæſa ejus ſapientia contra Optimiſmi ſyſtema, Deus optimum facere non tenetur.

XLVIII

Deus cunctis etiam minimis rebus ſpecialiter aſſiſtit, & providet.

XLIX

Eadem ſua providentia in quoslibet creaturarum actus immediate influit.

L

Clara atque diſtinta conficitur ab unoquoque homine principii in ſe cogitantis notio.

Hujuſ-

L I

Hujuſmodi principium, quod mens humana vocatur, eſt ſubſtantia ſimplex, quæ eſſentiam habet & naturam ab eſſentia & natura materiæ plane diverſam.

L I I

Licet ſimplex ſit mens & ſpiritualis, cum corpore cui unita eſt reali commercio communicare videtur, quod intimæ conſcientiæ probe conſonat.

L I I I

Cauſarum occaſionalium hypotheſis in explicanda animæ & corporis conjunctione graviſſimis urgetur difficultatibus.

L I V

Leibnitianum Harmoniæ Præſtabilitæ ſyſtema nec verum eſt, nec animæ potentiis conſentaneum.

L V

Si tanquam realium objectorum ſpecies mentis humanæ ideæ conſiderantur, ingenitæ eſſe nequeunt.

L V I

Ideæ & perceptiones unum & idem eſſe videntur, juxta Arnaldum.

L V I I

Non eſt admittenda Carteſii hypotheſis, qua ſtatuit, ut certis in corpore commotionibus Deus immediate creet in anima ideas ipſis reſpondentes.

L V I I I

Talis non eſt unio mentis cum Deo in hac vita, ut in ipſo juxa Malebranchium cuncta videantur.

L I X

Abſurdum eſt Democriticum ſyſtema, in quo aſſeritur ideas quaſdam eſſe materiales & corporeas facies, quæ Idola vocitantur, ex rebus avolantes, & cerebrum humanum penetrantes.

L X

Eſſentialis ſimplicitatis gratia anima humana diſſolvi nequit

nequit & interire viribus naturæ, atque ſua eſſentia eſt immortalis.

EX ETHICA.

LXI.

Homo vera ac proprie dicta libertate gaudet, qua poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere, & non agere.

LXII

Diris eſt devovendum Thomæ Hobbeſii ſyſtema, in quo actus humani non ex natura ſua, ſed ex hominum placitis aut conventis boni aut mali determinatur.

LXIII.

Lumen eſt in omnium cordibus hominum, quo diſcernitur quid agendum ſit, quidve omittendum; & vocatur lex naturalis, quæ per D. Thomam definitur *participatio legis æternæ in creatura rationali*.

LXIV.

In legis naturalis principiis nulla mutatio, aut nulla diſpenſatio haberi poteſt.

LXV.

Conſcientia judex eſt in homine, a cujus ſententia recedere non licet. Semper autem non eſt rectum quod ipſa dictat.

LXVI

Bonum ex integra cauſſa, malum ex quocunque defectu. Falſum propterea eſt principium, *quidquid agant homines, intentio judicat omnes*.

LXVII.

Homines propriis appetitionibus ad proprie dictam beatitudinem deſtinatos ſe eſſe cognoſcunt; cum autem in bonis creatis eam non reperiant, cum Auguſtino exclamant L. 1. Conf. C. 1. *Feciſti nos ad te*, Domine, *& inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te*.

LXVIII

Cultum internum non minus, quam externum, Deo tribuere neceſſario tenentur omnes. Pro-

LXIX

Propriam conſervare vitam præcipit lex naturalis: quare ſuicidium voluntarie commiſſum neſandum eſt.

LXX

Illicita ſunt ſingularia *ex condicto* certamina, quæ *Duella* vocitantur.

LXXI

Indolem deturpant humanam ſententiæ Hobbeſii, & Rouſſoji. Homo natus eſt ad ſocietatem cum aliis hominibus ineundam.

LXXII

Sed quoniam non nobis ſolum nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria ſibi vindicat, partem amici; in hoc naturam ſequi debemus, & communes utilitates dando, accipiendo tum artibus, tum officiis, devincire inter homines ſocietatem Cic: L: 1 de off: C: 7

LXXIII

Jus idcirco politicum in ipſo jure naturali fundatur, & ex eo originem ducit.

EX PHYSICA

LXXIV

Omne corpus extenſione & impenetrabilitate donatur: in quonam autem ex hiſce attributis conſiſtat ejus eſſentia, penitus ignoratur.

LXXV

Extenſionis continuæ notio fictitia eſſe nequit: continuo enim per ſenſuum noſtrorum organa acquiritur.

LXXVI

Lex continuitatis, qua elementorum quilibet excluditur contactus, difficile ſuſtinetur.

LXXVII

Extenſio ex propria & peculiari conſtitutione in infinitum dividua oſtenditur.

Spatium

LXXVIII

Spatium aliquod in natura vacuum undique diſſeminatum Phyſicarum legum notitia adſtruere videtur: de ejus tamen natura difficile eſt aliquid definire.

LXXXIX

De primorum elementorum corpora componentium natura, & forma, certo aliquid affirmari non poteſt.

LXXX

Hæc tamen elementa juxta recentiores Chemiæ operationes videntur Phyſicis artibus inſecabilia.

LXXXI

Corpus quodlibet perſeverat in ſtatu quieſcendi, aut movendi, donec ab externa cauſſa deturbetur, ac ſtatum mutare cogatur.

LXXXII

Actioni æqualis ſemper eſt, & contraria reactio.

LXXXIII

Vera reflexi motus cauſſa eſt vis Elaterii corporum in ſe congredientium.

LXXXIV

Gravitatem in omnibus corporibus ineſſe demonſtrat obſervatio, & probatiſſima analogia; non eſſe tamen in omnibus Terræ locis æqualem pendulorum experimenta oſtendunt.

LXXXV.

Gravia ſibi commiſſa, cujuſcunque ſint figuræ ac ponderis, ſemota mediorum reſiſtentia, iiſdem accelerationis legibus, & eodem tempore æquale ſpatium metiuntur.

LXXXVI

Gravitatis cauſa, ejuſque phænomena per Carteſianos ſubtilis materiæ vortices nondum potuit feliciter explicari.

LXXXVII

Ex conſenſu cum Cæleſtium corporum phænomenis Nevvtoniana hypotheſis videtur aliis anteferenda: licet attractio-

tractionis natura adhuc clare non innoteſcat.

LXXXVIII

Contra Scholaſticos, in proprio etiam, ut ipſi ajunt, elemento fluida gravitare demonſtratum eſt.

LXXXIX

Fluidorum columnæ ſejunctim premunt qualibet directione, deorſum nempe, ſurſum, & verſus latera.

XC

Fluidorum preſſio ex altitudine in baſim æſtimanda eſt, quæcunque ſit vaſis figura.

XCI

In Tubis communicantibus ſolummodo fit æquilibrium, cum ædem ſunt altitudines, ſi tamen homogenea ſint fluida: ſin autem ſint diverſæ ſpecificæ gravitatis, tunc æquilibrium eſt, cum altitudines se habent reciproce ut gravitates, cujuſcunque ſint ipſi Tubi amplitudinis, & inclinationis.

XCII

Ex duobus Tubis conſtanter plenis æqualis altitudinis, & æqualis luminis paribus temporibus pares fluidi quantitates exeunt. In Tubis vero diverſæ altitudinis, ſed ejuſdem luminis celeritates Fluidorum ſunt, ut radices altitudinum.

XCIII

Tuborum capillarium phænomena per externam ambientis materiæ preſſionem explicari non poſſunt.

XCIV

Omnibus autem ijſdem phænomenis neque ex attractione accurate ſatisfieri videtur.

XCV

Cœlorum ſubſtantia ſolida, neque cum Aſtronomiæ, neque cum Phyſices legibus conciliari poteſt.

XCVI

Hypotheſis Copernicana, & motum Terræ aſſerit, mechani-

chanicis naturæ legibus conſentaneum, & ex facillima, & accurata Planetarum retrogradationum explicatione adeo confirmatur, ut Ptolemaicæ & Tyconicæ videatur anteferenda.

XCVII

Cometæ ſunt corpora ſui generis, quæ certa motus periodo circa Solem revolvuntur, neque conflantur ex Cæleſtium Corporum exhalationibus.

XCVIII

Terra eſt corpus ſphæroidale ad Polos compreſſum, & ſub Æquatore elevatum.

XCIX

Aer eſt fluidum ſui generis a vaporibus & exhalationibus plane diſtinctum.

C

Aer gravis eſt & elaſticus, quibus proprietatibus explicantur aſcenſus & ſuſpenſio liquorum in Anthliis; quæ olim ab horrore vacui repetebantur.

CI

Aer eſt vehiculum Soni, qui ex parte corporis conſiſtit in peculiari & tremulo motu minimarum elaſticorum corporum particularum, & ad aures defertur motu oſcillationis.

CII

Ignis eſt ſui generis elementum, neque conſiſtit in combuſtibilis corporis particulis motu celerrimo agitatis: illius autem partes ſubtiliſſimæ ſunt, ſolidiſſimæ, mobiliſſimæ ac maxime elaſticæ.

CIII

Ignis centralis exiſtentia juxta hypotheſim D. De Buffon tanquam figmentum cenſenda eſt.

CIV

Vapor Electricus ſubſtantia ab igne elementari differre non videtur; ſuis tamen modificationibus diverſos ab igne aliquando producit effectus. Circa.

C V

Circa ejuſdem propagationem, ac diverſæ ſpeciei Electrica corpora, Frankliniana theoria ad verum magis accedere videtur.

C V I

Lux conſiſtit in effluviis a corpore lucido ſucceſſive erumpentibus.

C V I I

Lux & ignis ſimillimos præſeferunt ejuſdem ſubſtantiæ caracteres.

C V I I I

Quilibet lucis radius ex radiis etherogeniis conſtat, qui decompoſiti proprium, & ſingularem exibent colorem: hinc color ex peculiari reflexione repeti debet.

C I X

Potiſſimum viſus organum in retina conſtituitur.

C X

Explicari poteſt cur duplici oculo duplex non videatur objectum.

C X I

Per inverſas, quæ in oculis depinguntur imagines inverſa objecta minime videri debent.

C X I I

Aquæ congelatio a ſolis ſpiculis ſalinis, & frigorificis produci nequit.

C X I I I

Admirabilis glaciei dilatatio ex minimarum aeris particularum elaterio difficile explicatur.

C X I V

Vaporis aquei aſcenſus & ſuſpenſio in Meteoris aqueis ex ſola ignis dilatatione non proficiſcitur.

C X V

In Meteoris ignitis vapor electricus maximam ſibi vindicat partem.

Fon-

CXVI

Fontium origo non ex ſubterranea cum Mari communicatione repetenda eſt, ſed ex deſcendentis per Atmoſphæram aquæ copia.

609693

Indice degli Autori contenuti in questo
Volume 20.

Artico — Discorso sopra la SS. Sindone esposta in Torino nel 1840 - - - 439
" d. sopra la Guarda dei Piedi visitata nel 1840 - - - - 457
Baraldi — lettera a S. E. Mons.r Lambruschini Arcivescovo di Genova - 11
" Cenni storici sopra Leone XII. e Pio VIII. - - - - - - 15
Battaggia — Lettera a Monsignor Baraldi - - - - - - - - - - - 5
Benedetto XIV. sopra la festa della Cattedra di S. Pietro che cade il 18 Gen. - 247
" sopra la festa della Cattedra di S. Pietro in Antiochia cioè del 22. feb. - 285
Bertoni — Orazione in lode del Santo Martire Zenone - - - - - - - 517
Borrhomaus S. Carolus Monitiones ad Canonicos - - - - - - - 351
Bosello — De Obedientia a Saecularibus Presbyteris in S. Ord. promissa - - 303
Brighenti — Lettera a Mons. Squarcina Vescovo di Ceneda - - - - 237
Caruso — Panegirico dell'Immacolata Concezione della Vergine Maria 469
" Anacreontica e quattro sonetti sullo stesso argomento - - - 482
Castelli — Orazione in lode di S. Francesco di Paola - - - - - - 151
Ciani — Lettera dedicatoria a M.r Squarcina - - - - - - - - - 195
" Orazione in lode di S. Filumena Vergine e Martire - - 197
Dalla Vecchia — Lettera all'Arciprete D. Angelo Pizzi - - - - - - - 113
" Delle Lodi di S. Gio. Grisostomo Orazione - - - - - - - 119
Del-Zotto — Theses ex universa Philosophia depromptae - - - - - - - 591
Giacchetti — Sulla sotto-Confessione antica Zeneniana e sulla Palo d'Oro nella Chiesa di S. Marco in Venezia Notizie - - - - - - 405
Manzoni — Orazione Panegirica in lode di S. Osvaldo - - - - - - 493
Paronelli — Parafrasi del Salmo XLIX in versi - - - - - - - - - - 44
Zurla — Dei vantaggi ~~...~~ dalla Cattolica Religione derivati alla Geografia e scienze annesse Dissertazione - - - - - - - 49

Anonimi

A. C. Memorie sopra la Camera e l'Immagine di Maria Vergine Lauretana, coll'indice dei Doni fatti alla Santa Casa di Loreto - - - - 547

Digitized by Google

Lettera al Nobile Signore D. Gio. Carlo Malaspina – – – – 545
Notizie della Missione in Terra Santa – – – – – – – – – 333
Indulgentia impertita Christifidelibus benedicendo Coronas, Crucifixi – 377
Cenno storico intorno l'antichissimo sotterraneo di S. Zaccaria Profeta in Venezia, e Coroncina che si recita innanzi alla miracolosa Immagine del SS. Crocifisso che si venera nel suddetto sotterraneo – – – – – – – – – – – – – – 388
Cenni storici sull'Istituzione della festa del SS. Sacramento e suo sesto Centenario nella Diocesi di Liegi – – – – – – – 397

Digitized by Google